Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1335
Quelle:
Copyright:

Status Formalitatum, quem *mſ. Aſſiſii* ſervari ait. Duo igitur nova ſubpeditamus.

IV. *fol.* 123. rudiore calamo ſequitur ejusdem Sodalitii *Petrus de Aquila in IV^tum^ Sententiarum.* Initium eſt: *Samaritanus &c. Circa primam diſt. 4. Sententiarum in quo magiſter tractat de ſacramentis et in quo magiſter ponit primam partem incidentalem* &c. Terminatur hac clauſula: *Explicit 4us petri de Aquila reportatus* (deſcriptus) *Pariſius.*

Hic eſt ſcotellus ortus ex priſco nouellus.

Et ad calcem adnexae Tabulae Quaeſtionum: *Explicit tabula in quartum petri de aquila. Comparatus ibidem Pariſius* (quaedam eraſa) *Anno domini M°. CCC°. XLIX°.* Autor, quod *Johannem Duns* ſive *Scotum* doctrina et acumine aemularetur, *Scotellus* dictus, etiam ἀντονομαστικως *Doctor ſufficiens* audiit, et a. 1347. ad Epiſcopatum *S. Angeli de Lombardis* in Regno *Neap.* provectus parum ultra annum ſuperfuit. Quaeſtiones ejus in omnes IV. *Sententiarum Libros* lucem primum videre *Spirae per Petrum Drach* 1480. non tamen opera *Conſtantii Card. Sarnani*, ut habet *Waddingus ſuprac.* p. 275. neque hujus Viri opera *Venet.* 1484. ut fortaſſis error typi eſt apud *Fabric. Bibl. med. Lat.* L. XV. pro anno 1584. quo anno F. *Conſtantius de Sarnano Buccafocus* O. M. *Felici Peretto* Card. *a Monte Alto* Editionem *Petri*, quae mihi objacet, inſcripſit renuntiatus ab eo Cardinalis, dum *Sixti* V. vocabulo Petri claves reperiſſet.

V. *fol.* 153. p. 2. ſuccedit a difficili manu Sermo in laudem Ord. S. *Franciſci* hoc Themate: *Religio munda et immaculata apud deum patrem hec eſt. Jac.* 1. quod ait Orator adplicitum fuiſſe huic Ordini a *Nicolao* III. in Conſtit. *Exiit qui ſeminat* &c. Ad calcem notavit *F. Vl. de ualkenſtain* a. M°. CCC°. L°. *Pariſiis* fuiſſe *incendium lune die ſabbati poſt epiphaniam domini hora VI. minuto* XVII.

VI. *fol.* 157. Diſcutitur Quaeſtio dialectica: *Vtrum plures termini ſubordinati ſint idem ex natura rei.*

DXCII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 113
Folior. 421. 4. non una manu currente conſcriptus, rubricis enotatus, et olim, ut praefert theca anterior, legatus *collegio beate marie virginis domus rubee roſe apud fratres Predicatores in Wienna* a M. *Thoma de Wulderſtarff* ſacrae Paginae Doctore, S. *Stephani* Canonico et praefati Collegii ſuperintendente fideliſſimo tractat I. Quaeſtionem: *Vtrum regule philoſophorum et ariſtotelis de ſyllogiſmis ſufficiant generaliter ad katholice ſyllogiſandum in diuinis.*

II. *fol.* 17. ſequuntur Prolusiones II. in I. et II. *Librum Sententiarum.*